

XVIII

MORES DIVITVM CVLPAT SVAMQVE PAVPERTATEM LAVDAT

Trochaico-iambicus

Nōn ebur neque aureum
Meā renīdet in domō lacūnar,
Nōn trabēs Hymēttiae
Premunt columnās ultimā recīsās

Āfricā, neque Attalī
Īgnōtus hērēs rēgiam occupāvī,
Nec Lacōnicās mihi
Trahunt honestae purpurās clientae.

At fidēs et ingenī
Benīgna vēna est ; pauperemque dīves
Mē petit ; nihil suprā
Deōs laccessō ; nec potentem amīcum

Largiōra flāgitō,
Satis beātus ūnicīs Sabīnīs.
Trūditur diēs diē,
Novaeque pergunt interīre lūnae.

Tū secanda marmora
Locās sub ipsum fūnus, et sepulcrī
Immemor, struis domōs,
Marisque Bāīs obstrepentis urgēs

Submovēre lītora,
Parum locuplēs continente rīpā.
Quid ? Quod ūsque proximōs
Revellis agrī terminōs, et ultrā

Līmitēs clientium
Salīs avārus ? Pellitur paternōs
In sinū ferēns deōs
Et uxor, et vir, sordidōsque nātōs.

Nūlla certior tamen
Rapācis Orcī fine dēstinātā,
Aula dīvitem manet
Erum. Quid ultrā tendis ? Æqua tellūs

Pauperī reclūdītur,
Rēgumque puerīs ; nec satellites Orcī
Callidum Promēthea
Revexit aurō captus : hic superbum

Tantalum atque Tantalī
Genus coercet ; hic levāre fūctum
Pauperem labōribus,
Vocātus atque nōn vocātus audit.